

10
DELICIARUM
EPISTOLICARUM
FESTIVALIUM

Exercitatio Duodecima

P R Æ S I D E

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii Hallensis

Respondente

FRIDERICO MERCKIO

Hallensi Saxone


In

DIE VIRIDIUM

CID. DC. XLIV.

HALLIS-SAXONUM

Typis Christophori Salsfeldt.






ANALYSIS
EPISTOLÆ

In
DIEM VIRIDIUM.

1. Corinth. 11. v. 23. usq; ad 30.

THESIS I.

uod vaticinatus est Spiritus Sanctus Jer: 31, 31. Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam cum domo Israël & juda fœdus novum: Id exsecutus est salvator & Dominus noster JESUS CHRISTUS. Venit, & ferit fœdus, dum novum instituit, hoc ipso die, quo solenniter salutem nostram, quæ virere & progerminare cœpit, sigillo corporis & sanguinis confirmavit. Quod fœdus, quantum à cordis contritione & lachrymarum fonte, uti loquitur Ambrosius in oratione ante Missam,

nam, quantā reverentia & tremore, quantā
corporis castitate, & animi puritate celebran-
dum, vel tempus ipsum admonere videtur.
2. Ut verò intelligatur quale fœdus, doce-
tur in Epistola, quæ in hoc die viridium
tractari & explicari solet. In quâ tūm de
ejusdem fœderis institutione, quoad cir-
cumstantialia, in circumstantiarum de-
scriptione v. 23. In quo partim de causa
efficiente instrumentali de Paulo, quod
acceperit à Domino, quod tradidit. Ut
nempe doctrinam suam premuniret autori-
tate divinâ, se non hominum commenta pro-
fari, sed à Domino accepisse Eo, qui autor
hujus sacramenti; & qui ad dextram Patris
sedeat, quem admodum & totam doctrinam
uti fatetur ad Gal. 1, 11. Simulq; innuere
voluit, hanc de Cœnâ doctrinam esse partem
Evangelii à Christo per Paulum traditi, lau-
rumq; nuncium de remissione peccatorum &
gratiâ Dei, quæ per hoc Sacramentum vivifi-
cum confertur & obsignatur omnibus, contri-
to corde & verâ fide utentibus. Tradere verò
se dicit, uti accepit. Propterea multò fortius obli-
gat, quàm si dixisset præcepi vobis, ex illo 1.
1. Cor. 7, v. 10. ubi dicit: Non ego præcipio
sed Dominus. Ut ita ad administrationem &

usum

usum Cœne Dominice non consilium dei, sed
præceptum Domini tradat, atq; magis obliget,
quàm si præcepisset.

3. Partim de causa efficiente principali
de Christo. Ubi subiectum Dominus Jesus.
Uc autorem summum hujus Sacramenti osten-
dat. Quem Dominum vocat, ut pote ad dex-
tram Dei supra omnia exaltatum, Act. 2, 36.
Tanquam verum Deum. Et Jesum nominat,
tanquam Salvatorem nostrum, ex Matth. 1,

21. Quò, quicquid Deus asseruit, & quic-
quid Deus instituit, & Jesus fecit, omninò
verum & ratum esse concludatur.

4. Et prædicatum, quod continet tempo-
ris notationem. In eâ inquit nocte, qua
traditus est. Quo partim rem gravissimam
factam esse & seriam indicavit: dum enim ad
acerbissimam passionem abire deberet, amoris
sui testimonium ultimum relinquere voluit.
Partim ut typum adimpleret, quo & institu-
tio agni Paschalis, qui æquè inter duas vespervas
commestus; cum vero agno conformaretur.
Exod. 12, 9. Nox præterea erat nontantum
naturalis, sed & spiritalis. Instituit igitur in
noctis initio Sacramentum corporis & sangui-
nis sui augustissimum, ut in usu ejus videremus
noctis passiones, memores lucis; & ut cœlestis

irradiatio animabus nostris obtingeret, veluti
ei Jonathani Filio Saulis 1. Sam. 14, 10.
Ex quibus singularis CHRISTI amor erga nos
apparet, quod ea nocte, in qua mortem ob pec-
cata nostra passus, hoc fœdus instituerit, ut par-
ticipes redderemur omnium beneficiorum, quæ
sua morte nobis peperit. Ne verò qualibet
nox intelligatur, ea denotatur, quæ traditus
est, quæ circumstantia docere voluit Paulus,
se nihil novi proposiurum, sed repetiturum ea
quæ CHRISTUS ipse in institutione hujus Sa-
cramenti fecit.

5. Tum continet actionis declarationem,
quod acceperit panem: nempe in manus sub-
latum mensa, quæ acceptione eum separavit
à communi usu, & sanctificavit ad usum Sa-
cramentalem. Et quidem panem accepit non
peculiarem, sed vulgarem, qualem habebant
in convivio Paschali, quod jam modo finitum,
nondum tamen omnibus cibus sublatis, erat.
Et ut distingueretur à cena vulgari & pascha-
li: unde & colligitur non ineptè cenam Do-
mini appellari, uti & Tertull: lib 2. ad uxore
remc. 4. Convivium nominat Cyprian: de
cena, Aug: lib: 2. de serm. Domini in reg
310. c. 12. & Basilius. Qui tamen azymus,
uti juxta legem in epulo paschali Exod. 12, 8.
erat

erat adhibendus: non tamen necessario talis
quia non mandatum ut talis adhiberetur. An
v. orbicularis, an oblongus non significatur;
modo quod fuerit panis, secundum Paschasium,
c. 17. de corpore & sanguine Christi, dato seu buc-
cella, uti Tertullianus vocat lib: de Monog:
particula apud Augusti: non enim est quanti-
tas visibilis aestimanda, sed virtus, uti habet
Hilarius, Etiam Epiphanius in Ancorato p.
562. meminit rotunde forme. Gregorius
vocat coronas oblationum lib: 5. Dial. De-
niq; non adhibetur ad alimentum, sed ad Sacra-
mentum, uti concilium Nicenum statuit;
non ad saturitatem, sed ad sanctificationem,
Panem verò dicit, quia subest panis vita
CHRISTUS, quo spiritualiter saturantur a-
nime nostræ, & confortantur ad salutem eter-
nam Job. 6, 48. quemadmodum Elias ita
confortatus 1. Reg: 19, 8. Ut quemadmo-
dum nutrimentum corpori prebet panis, ita panis
vite caeleste Job. 6, 39. Ideoq; retinendus.
6, Partim sunt realia. Et sunt ea vel inter-
na seu substantialia, quæ in sub pane cor-
poris oblatione v, 24. In quo partim facta,
quæ præmittuntur in genere quod factum
postquam gratias egerit. Ut quidem semper
in more habuit, quando cum aliis distribu-

it, pro necessaria alimonia gratias agens Deo.
Hic autem peculiariter etiam gratias egit pro
decreto redemptionis nostræ. Unde & bene-
dictio vocatur apud Matthæum & Marcum,
ita tamen ut gratiarum actio directâ fuerit ad
Patrem, benedictio ad panem, quâ panem in
sanctum organon distribuendi corporis sui con-
secravit. Ambrosius de iis, qui initiantur
mysteriis c. 9. August. Serm. 28. de ver-
bis Domini.

7. In specie, tum quod fregerit; quia e-
rat integer & solidus panis, quo distribui pos-
sit. Uti & Evangelistæ addunt, ipsum panem
fractum dedisse discipulis. Proinde fractio,
quamvis peculiari modo fregerit, adeo, ut ex
modo frangendi etiam à discipulis Emaunicis
agnitus sit, Luc: 24, 35. tantum fuit ministe-
rials & administratoria pro more regionis,
eo sine, ut distribui possit, non essentialis actus,
non enim fregit, propter representationem,
uti Calviniani volunt; siquidem repugnat na-
ture N. T. quæ non adumbrat, sed representat
ex 1. Cor: 10, 26. Imò corpus CHRISTI
non est fractum in cruce Job 19, 36. quem-
admodum nec agnus paschalis Exod 12, 46.
Num 9, 12. Cum alias & effusio vini ad ef-
fusionem sanguinis CHRISTI necessaria foret,
quam

quam tamen nec ipsi adhibent. Ut ita non sit
necessitas, sed tantum libertas frangendi ad
distribuendum. Propterea etiam ab Apostolis
observatus. At cum à nostris hostie seu particu-
le ante aptate ad distribuendum usurpantur non
est necessaria illa fractio. Hostie verò aequè pa-
nis quum paribus essentialibus, nempe fari-
na & aqua, cunctis accidentalibus, quum
habeat colorem, saporem, odorem & vim nutri-
endi ac alius grandis. Qui licet divisus, tamen
unus specie per unitatem officii Sacramentalis,
quod est esse symbolum corporis & corpus
mysticum constituere. Alias & placentis esset
utendum, quibus usi in festo paschatos, secun-
dum Mulculum in Comment- quod tamen
ipsi non faciunt.

8. Tum quod dixerit. Fracto enim pane
noluit tam sanctam actionem esse mutum ali-
quod spectaculum, de quo unusquisque conji-
cere possit, quid ipse velit; sed ipse verbis satis
claris & perspicuis indicare voluit, quale in-
stituatur convivium & qualis cibus imbibitur ex-
pectandus.

9. Partim sunt mandata, quoad actio-
nem externam formaliter respectu modi
antecedentis, ut accipiant. Non ergò ut aspi-
ciant, dum non spectaculum instituere voluit,

A S

sed

sed divinum epulum. An verò manū, an ore, non
denotatur, sed generaliter mandatur, ut
accipiant: Nam modus est indifferens, sive ma-
nibus accipiatur, sive ore solo, modò accipia-
tur, Quomodo & CHRISTUS in cruce
pendens accepit acetum, non manu, sed ore.
IO. Et respectu modi consequentis, ut
edant. Propterea enim jubebantur accipere.
Ideoq; edere, non est credere, sed ore accipere:
nec enim spiritualis hic instituitur mandu-
catio, de qua Iob. 6, 30. sed Sacramentalis,
alàs indigni non fierent rei corporis CHRIS-
TI, contra manifestum textū huius loci v. 27.
Certè eò quo panis manducari potest, jubentur
edere, cum & Judas ederit, nec tamen credi-
derit. Ideoq; verbū edere duplicem significatio-
nem non habet: cum impossibile sit unum idemq;
verbum in una propositione simplici diversam
habere significationem. Non tamen est caper-
naitica manducatio, quæ Physica & nudam
carnem pro obiecto habet, sed Sacramentalis,
quæ hyperphysica & vivifica ex Iob. 6, 32.
ut qui hoc negent, sint anathematizandi se-
cundum Concilium Ephesinum.

II. Et respectu obiecti, ne quis ambige-
ret, quid edere debeant, addit quo edant
corpus uti loquitur CHRISTUS suum. Non

er-

ergò nudus panis edendus, ut saturarentur, quia jam antè erant saturi, ex præcedente convivio Paschali ubi comederant agnum ritu Mosaiico, sed intelligitur sacramentalis. Unde dicit hoc est corpus meum.

12. Et ne dubitaret quispiam, quid comedere debeat, dicit Hoc quod frangitur. Per quam particulam totum id, quod CHRISTUS discipulos manducare jubebat denotatur, ut non solum ad panem referatur, sed etiam ad corpus, quia de eo dicit, quid sit. Explicatio igitur CHRISTI satis clara est, dum exprimit, quid nos sumere & manducare debeamus. Quemadmodum & Cyrillus & Hilarius, ceteriq; Patres interpretantur. Neq; per hoc corpus demonstratum sedens intelligitur, ac si demonstrativè dixisset hoc est, cum dixerit esse manducandum. Copulam autem est idem quod significare velle interpretari, per Metonymiam, esset tropum in copula ab surdè statuere, & unà discrimen V & N. T. tollere.

13. Et ne etiam Tropus aliquis intelligi possit, addit corpus illud esse manducandum, quod suum. Quæ verba sunt mandati, sacramenti, ab omnibus Evangelistis & Paulo conformiter annotata. Addit & quod fractum pro vobis. Ut intelligatur cruciatus pas-

si-

tionis in corpore toleratus, quemadmodum
Esa. 38, 13. accipitur, & à Luca per tradere
c. 22, v. 19, explicatur. Non ergò tantùm
panis accipitur, verùm etiam corpus, uti col-
ligitur ex verborum perspicuitate, ex Testamenti
dignitate, ex circumstantiarum claritate.

14. Respectu finis, ut faciant in comme-
morationem. Hic enim est fructus & effectus.
Et ita ostenditur tùm CHRISTI erga creden-
tes beneficium. Ut igitur accuratè grates
recolant, quanta bona & dona passione &
morte suâ promeruerit innuitur; tùm etiam
accedentium ad Sacram cœnam hospitum of-
ficiū, ut habeant vivam fidei applicationem.
Reminiscencia enim tradente scriptura fiduci-
am significat, Ps. 20, 8. & devotam gratia-
rum actionem, secundum Ps. 103, 2. Quae omnia
equè sunt faciendā, uti accipiendum & eden-
dum. Ideoq; per ἵσθαι facere non intelligitur sacri-
ficare, siquidem illud jubet facere, quod antea
mandavit, mandavit verò accipere & edere,
ergò non Sacrificare. Graecum ποιέω sacrificare
rarò denotat ut apud Dionem quidem lib.
37. ὑπὲρ τοῦ δήμου ποιέειν, pro populo sa-
crificare, sed hic aliud. Quid? cum
jubeantur omnes facere, hoc loco, omni-
bus

bus ne etiam licebit sacrificare? Quod uti absurdum, ita etiam non est concedendum. Et CHRISTUS semel se obtulit Hebr: 10, 14. Non ergo indefinenter offerri potest.

15. Et sub vino, in Sangvinis exhibitione v. 25. In quo itidem facta in genere, ubi modus, quod similiter sumpserit & poculum: quemadmodum scilicet panem accipiendo in manus, benedicendo inter discipulos distribuit. Si ergo similiter, sine violatione Testamenti disjungi non potest ex institutione, ex Apostolica repetitione, ex Testamenti conditione, ex incommodi consecratione: siquidem, quod Thomas loquitur, traditur hoc Sacramentum sub duplici specie 1. propter eius perfectionem, quia cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum & potum. Nam & spiritualis refectio non efficitur sine cibo & potu, 2. propter ejus significationem: est enim memoriale Dominice passionis, per quam sanguis CHRISTI fuit separatus à corpore: & ideo in hoc sacramento seorsim offertur sanguis à corpore. 3. propter hujus sacramenti effectum salutarem; valet enim ad salutem corporis, & ideo offertur corpus, & valet ad salutem animæ, & ideo offertur sanguis, nam anima in sanguine est, uti dicitur Gen 9, 5.

Glossa

Glossa ordinaria addit rationem. 4. dum in-
quit sub duabus speciebus, ideò dedit, ut osten-
dere CHRISTUS, totam humanam naturam,
id est corpus & animam assumpsisse, ut utrumq;
redimeret, qui itaq; utrumq; conjunxit, dum
cœnam instituit, Apostolis administravit, ipse
etiam Paulus ita administrandum vel sexies
repetiit. Vtiq; etiam ita retinendum, ut sacra-
mentaliter seorsum utrumq; acciperetur, licet
naturaliter & personaliter totus sit sub utraq;
specie, Gerhard. de F. C. in 2. part. c. 7.
art: 14.

16. Et tempus, quod peractâ cœnâ hoc
factum: vulgari scilicet illâ, quæ post solenni-
tatem agni Paschalis institui consuevit, ita
ut hæc ad totam cœnam, in quâ cibus & po-
tus sacramentalis distributus, referenda sint.
Et quamvis Matthæus & Marcus dicant
edentibus ipsis, intelligendum tamen est aōristum
2. præteriti significationem obtinere, uti mo-
net Scaliger lib 6. de emendatione tempo-
rum, cum expresse dicatur, similiter factum
esse, uti in panis distributione, ita etiam in
vini, potissimum cum & Iohannes dicat cap.
13, 2. ΔΕΙΠΝΩ ΓΕΝΟΜΕΝΩ Non ergò durante
cœnâ vulgari distributio panis facta, sed post
cœnam, distributio calicis.

18. In

17. In specie quod dixerit. Ut ostendatur omninò verba illa, quibus usus, esse retinenda, cum contineant voluntatis & institutionis declarationem. Non ergò aliis verbis usus, uti quidam arbitrantur Neq; tamen dicendo mutavit substantiã vini; quia 1. transsubstantiatio nullum fundamentum habet in scripturis 2. post consecrationem appellationes retinent symbola. 3. expressè dicitur communicatio, uti corporis, ita sanguinis. Nihil autem dicitur communicatio sui ipsius, pugnatq; cum analogia fidei, Gerh: lib 2. part. 2. art. 14. c 2. Ergò quale vinum intelligatur, quidq; exhibeatur declaravit.

18. Et mandata sunt tum implicite de sumptione, quod hoc poculum sit N. T. in sanguine eius. Ubi subjectum hoc poculum, sive hic calix. Per hoc intelligitur complexè & synedochicè vinum in poculo, que synechdoche tamen non figuratum aliquod in predicato introducit, sed tantum in subjecto, quid per poculum intelligatur innuit, quoad Grammaticam, non Rhetoricam; quia non mutatur vocis significatio, sed tantum, quod utrumq; contineatur ostenditur uti & Cassan. lib. 2. de incarn. tradidit: in Grammatica Synechdoche ponitur unum cum alio, in Rhetorica, unum pro altero.

19. Præ-

19. Prædicatum est, quod sit N. T. in sanguine, id est per sanguinem, qui vino sacramentaliter unitus exhibetur bibendus. Quemadmodum etiam Matthæus & Marcus explanant, dum loquuntur idiotismo Græco, vocando sanguinem Novi T, Paulus & Lucas Idiotismo Hebræorū, dicendo N. T. in sanguine, Hoc est, per vel cum sanguine CHRISTI confirmatum, uti & alias ita scriptura loquitur Gen: 32, 0 & Eph. 6, 5. Col. 4, 5. Non igitur poculum est figura tantum testamenti, quia alias sequeretur, sanguinem CHRISTI à sanguine Paschali nihil differre.

2. N. V. sui ipsius esse figuram: Sed idem est ac si dicatur In & cum poculo Eucharistico pro vobis effuso N. T. firmatur & obsignatur.

20. Explicite est finis conjunctim, ut faciant. Id est ut bibant, proinde non tantum de pane hoc dicitur, sed & de vino, ut ita nullum dubium faciendum in utraq; specie. Cum ergo Magister noster Matth. 23, 8. audiendus Matth. 17, 5. rectè secundum Bieleme lect. 35. in canonem concluditur: Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebratur; nec ulla potest diversitatis ratio dari in hoc præcepto, esse faciendum.

21. Distinctim, quotiescunq; biberitis
in

in mei commemorationem, ubi partim u-
sus iterum in genere innuitur, quo fiat in
commemorationem, quemadmodum & de pa-
ne dictum: Et in specie quod saepius, dum dicitur,
quotiescunq; biberitis: toties verò
debemus, quoties mortem Domini, quod o-
mnino saepius fieri debere nullum dubium, annun-
ciamus, facere. Neq; enim existimandum semel
tantum sufficere, sed crebrius, i. dum mandavit:
Hoc facite: dum 2. & necessitas postulat, &
ipsa 3. primitiva Ecclesia frequenter repe-
tur Act. 2. 42. & 46 Act. 20, 7, Neq; ista
verba liberam voluntatem usurpandi innuunt,
sicut si tum faciendum, quotiescunq; forsitan libi-
tum, sed ostendunt finem quare faciendum.

Qui ergo negligunt hoc ipsum, indicant secu-
ritatem animi, quodq; desiderium celestis huius
alimonie nullum habeant.

22. Vel sunt externa, quae consistunt in
veri usus inculcatione, estq; mortis Domi-
ni annunciatio v. 26. In quo antecedens:
quotiescunq; vel comederint panem hunc,
vel etiam biberint hoc poculum. Et utrumq;
conjungitur, ut utrumq; jungendum esse
doceatur: utrumq; etiam recitatur; nec enim
unum ab altero separandum. Unde sexies hoc
in capite communionem sub utraq; tum panis,

B

tum

tam vini sigillo toti Ecclesie Paulus commen-
det v. 25. 26. 27. 28. 29. Et quamvis mentionem
faciat panis saltem & calicis, non corporis &
sanguinis, tamen non simpliciter, sed hunc
panem & hoc poculum nominat, ut sacramen-
talem unionem innuat.

23. Consequens, quo mortem Domini
annunciant, usq; veniat. Atq; ita perpetu-
am meritorum CHRISTI celebrationem, usq;
ad visibilem ejus reditum ad iudicium incul-
cant. Est ergo adhortatio quia Imperativus; &
particula γὰρ pro conclusiva sumitur, uti Joh.
10, 26. Idq; fit, uti per predicationem publicam,
meditationem ac lectionem privatam, ita vel
maxime per usurpationem frequentem & sedulam.

24. Et in objecti explicatione, quoad
propositionem conjunctim, de indignis,
quod sit in eorum accusatione v. 27. In
quo subjectum, qui manducaverit panem
hunc & biberit calicem Domini indignè.
Qui non sunt infirmi, siquidem CHRISTUS
lignum fumigans non exinguit Es. 42, 3.
& Paulus eos nos jubet suscipere, Rom: 14, 1.
neq; imperivi: sed impoenitentes & hypocri-
te, qui partim impie docent, partim impie
vivunt illi indigni sunt.

25. Prædicatum est, quod reus sit talis
corpo-

corporis & sanguinis Domini. Non panis
& vini; Sed reatus ille, quia non pendet in-
tegritas à fide sumentis, sed à veritate insti-
tuentis, in ipsum corpus Domini fertur. Ideoq;
& indigni accipiunt corpus & sanguinem quo-
ad substantiam, licet non quoad usum saluta-
rem. Ubi non per reatum ipsum iudicium in-
telligitur, quemadmodum sumitur Matth. 6,
25. sed crimen illud, quo iudicium attrahi-
tur, dum indignè edunt & bibunt. Ergo
magna cum veneratione & devotione acceden-
dum est ad hoc convivium.

26. De dignis in ipsa probatione v. 28.
Ubi Antecedens, quo probet seipsum ho-
mo. Digni ergo sunt, qui se probant; quod
fit, si conscientiam suam excutiunt, peccata
agnoscunt, seriò deprecantur, propositum me-
lioris vitæ habent, quæ omnia ante usum sunt
necessaria, ut requisita.

27. Consequens est, ut tunc de pane illo
edant, & de calice bibant. Probationem er-
go præcedere vult, ne illotis, quod dicitur
manibus, & impuris mentibus accedatur.
Non ergo promiscuè omnes admittendi, ne
margaritæ proiciantur porcis. Ideoq; publica
confessio meritò præmittitur, quemadmodum
Cyprianus sermone de lapsis requirit, &

privata exploratio, cum proximo reconcilia-
tio & oratio, pro ratione cuiusq; Ecclesia.

28. Et quoad comminationem, quae est
in non judicantium condemnatione n. 29.
In quo partim effectus, quoad subjectum,
quod qui edat & bibat indignè. Ita est qui
non sese probaverit & examinaverit, qui
sunt increduli, impœnuentes, hypocrite, qui
fidem profitentur, sed tamen sine seria pœni-
tentiâ & proposito emendationis accedunt.

29. Quoad Prædicatum, quod sibi man-
ducent iudicium; temporale quidem; si sequa-
tur pœnitentiâ: quamvis enim corpus CHRI-
STI in se semper sit vivificum & efficax, tamen
per accidens operatur iudicium, terrorem ad-
damnationem. Quod si verò non sequatur pœ-
nitentiâ, etiam aeternale iudicium, quo projici-
entur a facie Domini in novissimo die

30. Partim modus, continens causam:
quia non dijudicat corpus Domini. Hoc
est, non secernit secundum normam verborum
institutionis; nec perpendit magnitudinem eo-
rum, inquit hoc in loco Oecumenius, quae in
cæna Dominica presentia & proposita sunt.

N O T A.

I. *Accipit panem*) *Confidera CHRI-
STUM*

TUM in institutione Novi Testamenti accepisse panem & benedixisse, ut discas, si velis salutariter itidem accipere, etiam benedicere.

II. Hoc facite, etc.) Considera utendum esse coena in memoriam passionis, ut discas, quò frequentius uteris, eò frequentius etiam Coenae Domini recordari.

III. Probet se autem unusquisq;) Considera neminem salutariter accipere, nisi, qui se probaverit, ut discas probationem esse necessariam ad salutarem usum.

QUAESTIO PHILOLOGICA ex Evangelio.

I.

An illa verba, pro vobis effunditur, respiciant poculum, an sanguinem?

Calvinus in Harmonia Luc. 22, 20. & Beza opinantur esse solæcophanes, & non de substantia textus, sed ex margine in textum translatum. Verum malitia est. Quis autem tam infrunnita mentis & tam perfricta frontis, qui asserat quid contra Græcos, qui authentici, quippiam? At habent isti ἐκχυρόμενον ubi respiciunt ποτήριον quia αἷμα est in textu in dandi casu.

AN.

An *ποτήριον* rectè translatum calix è

Malunt alii poculum, alii scyphum, alii planè potum. Sed frequentissima vox calix apud Græcos & Latinos autores. Ita ut pro genere in Græco, in Latino species sit posita. Deinde testatur Optatus libro 6. contra Pamm. Calicem fuisse asservatum. Idem habet Beda de locis sacris c. II. dum inquit; in platea qua martyrium & Golgatha continuatur exedra est, in qua calix Domini conditur.

An rectè appelletur cœna è

Gregerus in Muricibus prædican. c. 8. Dilligentes negant. Sed ipse Apostolus 1. Cor. II, 20. inquit: Convenientibus vobis in unum, jam non est cœnam Dominicam manducare. Ita expressè nominat: Nec enim vulgares epule intelliguntur, ut ex 23. versu patet. Sed sanctissimum mysterium Eucharisticum Apostolus innuit, cujus abusum, qui in Ecclesiam Corinthiacam irrepserat, taxat. Deinde veteres omnes de Eucharistia accipiunt hunc locum August. Epist. 118. ad Januar. Ambrosius Hieronymus Theodorus. Atq; ista

ista appellatio est primæ Ecclesiæ, diciturq; ita
respectu primæ institutionis.

AD RESPONDENTEM.

Hunc quicumq; cupit rectè cognoscere
sensum

Verborum cœnæ verba *notare* decet.

Ex verbis etenim sensus fluit optimus, atq;

Is genuinus, habent quem sacra verba
DEI.

Sic velut accepit Paulus, quoq; tradidit illa

Quâ noctu fœdus sanxit is ipse novum.

Dum panem sumpsit, benedixit, fregit, &
infit:

Sumite, quod pōrgo, corpus, & este meū.

Corpus id est quod pro vobis & frangitur,
Este!

Sic faciat quisquis, sit memor atq; mei.

Sic quoq; sumebat calicem dixitq; deditq;:

Hunc haurite, mei sanguinis iste calix.

Et quoties panem, memor esto! comedere
istum;

Et calicem quoties hauseris esto memor!

Donec ad extremā volventur singula lucem,

Donec & ad terras venero rursus ego.

Quis

Quisquis at indignè sibi sumserit istud
utrumq;

Sanguinis ille reus, corporis ille reus.
Ergo probet se quisq; prius, post sumat utrumq;

Contra iudicium sumit utrumq; sibi.
Ista notat Paulus; notat aut & MERCKIUS
ista.

Pergat & ista! bonis ista notasse placet.
Ita testatur

Gueinzius

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679




3

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970

Th. 4968



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

10
...ARUM
...ICARUM
...ALIUM
Duodecima
...SIDE
...O GUEINZIO
...nafi Hallensis
ndente
...MERCKIO
...i Saxone
...
...IRIDIUM
...G. XLIV.
...SAXONUM
...phori Salfeldi.